

# VIET-CHI POST n. 40

d. XV m. Oct. a. 2009

---

MAGISTRI PHAN HOANG EPISTULA

## DE PISANA TURRE



*Cur Turre apud Pisas clara est?*

Hoc anno, noster Mundanus Conventus Autumnalis (d. 17-18 m. Oct. a. 2009) in Italica urbe Pisis erit. Hoc res memorabilis est. Hanc amoenam urbem diligentius quam Romam, Patavium, Augustam Taurinorum, Venetias inspexi, quod in ea saepe moratus sum ex anno 1976. Cum eo loco nullum amicum vel discipulum habeam, spiritualis amicus mihi est: mathematicus Leonardus Fibonaccius (c.1170-1250). Per eius numerorum formulam, aliquas res arcanas Arcis Co-Loa, apud Hanoi, quae condita a. 257 a. C. n. fuit, intellexi. A. 1973, in conventu apud Gallicam urbem Augustritum, formam VO-VIET systematis, ad Vietvodao dedicatam, isto nomine vocavi. Mea sententia, Pisana turre non tam misteriosa est quam Co-Loa, tamen mirifica est. Cum hanc pulchram urbem circumeas, variis temporibus diei vel variis diebus hebdomadis vides urbem suam faciem mutare, et spiritum quoque. Hoc cum tempore diei coniunctum est. Hunc venustum locum oportet omnes homines videant. Pisae non solum Pisana Turre sunt, sed in hac arcana urbe, in locis palustribus condita a. 600 a. Ch. n., universus

mundus est.

Cur plurimi peregrinatores quotannis ad illam praeclaram Turrem eunt? Quia necesse non est ut explanationem legant ut comprehendant cur haec turris singularis sit. Inclinata est, sed non ruit! Qua de causa ista turris tam mirifica et clara est et plurimi peregrinatores, cupidi videndi, in urbem Pisas veniunt. Mea sententia hoc vitae prosperae fundamentum est: Hominem eximium esse, propriam eximietatem ostendere, gratum ceteris hominibus esse.

Nunc vero, cur fabula de Turre apud Babel clara est? Quia turris non est! Fabula autem exemplum statuit in ruina. In vita ruinae maiores quam prosperi eventus sunt. Cum erremus in aliqua re, viam invenire possumus ut nos ipsos et homines circa nos doceamus, si ex nostrae ruinae causis discamus et eas in animo versemus ne eadem peccemus. Edison, cum interrogatus esset cur octies erravisset antequam electricum lampadium invenisset: “Mea via ad felicitatem – placide inquit - novem gradus habet”. Turris apud Pisas 297 gradus habet; annos iam 800 inclinata est; hodie procumbit quinque metra.



Cur Turris apud Babel ruerit, priusquam satis alta fuisset, scimus. Illo tempore interpretes pauci fuerunt; homines in parvis societatibus vivebant; cum mentes oppletae sordibus essent, inter se minime communicabant. Nostra aetate immo in hoc laetamur, quod orbis terrarum patet, nam litterae nuntiique, notitiae cogitationesque ex quadam lingua in alias convertuntur. Illud nostra parvi interest, qua lingua auctor scripserit. Cotidie interpretes magnis laboribus se frangunt ut nostra lingua nuntios cognoscamus cum televisore vel machina computatoria utamur. Saepe laetissimi sumus cum nostra lingua indicia, nuntios, res gestas legimus vel audimus, cum de aliqua re nostra lingua cognoscimus; nemo tamen gratiam interpretibus, qui post siparium vertendi artem exercitant, habet. Sine eorum opera, tamen nihil comprehendere possumus! Memoria vero proditum est bella saepe orta esse ex errore et errorem, ex aliqua parte, ortum esse ex impedimentis sermonis. Cum VIET-CHI POST legistis, num recordati estis de interpretibus, qui operam dant, ut vestra lingua commentarium nostrum legatis?



Gratias maximas ago Interpretum Sodalicio, quod suum pretiosum tempus nobis largitur. Qui, quod alii facere possunt, cum occasionem nanciscantur, faciunt. Permagno interpretum operam aestimo, et aliquid singularis in illis volo facere. Semper novicios in Interpretum Sodalicio benigne salutamus. Si eius vis particeps esse, te coniunge, quaeso, cum Mariagrata, Magistra Interpretum Sodalicii, apud [vovietmailbox@vovietjournal.org](mailto:vovietmailbox@vovietjournal.org) . Tum facies huius honorati Sodalicii et bona ad Interpretes tributa videbis.

*Phan Hoang, m. Oct. a. 2009*

*www.vovietjournal.org Email: [gphanhoang@vovietjournal.org](mailto:gphanhoang@vovietjournal.org)*

VIET-CHI POST n. 40, m. Oct. d. 15, a. 2009 © Charles Phan-Hoang, 2009

